

cionibus et negociacionibus quibuscunque seu alijs publicis seu privatis obsequiis, que ad dictorum Bernabonis et Galeacz suorumque adherencium complicum et fautorum utilitatem et commodum seu ad eorum usus gesta fuerunt seu potuerunt vel possunt quomodolibet pertinere, coram vobis seu aliquibus aut aliquo vestrum ubicunque vobis placuerit, citandi et evocandi necnon contra eosdem conjunctim et divisim juris ordine servato vel non servato, simpliciter, summarie et de plano ac sine strepitu et figura judicij ac alias, prout industrie vestre expedire videbitur et secundum quod rerum et negotiorum hujusmodi comoditas seu qualitas exegerit, procedendi principaleque cum omnibus et singulis incidentibus, emergentibus, dependentibus et connexis negocijs audiendi, cognoscendi, decidendi, diffiniendi et fine debito terminandi, dictosque Bernabonem et Galeacz hostes et rebelles, ut predicitur, eorumque ac eciam complicum adherencium et fautorum ipsorum subditos homines, terrigenas, servitores, adherentes complices et fautores et eisdem participantibus et communicantibus necnon contrahentes seu negociantes cum bonis pecuniis, rebus et mercimonijs ipsorum seu ad opus et commodum eorundem vel eorum nomine aliquid exercentes ac illos, qui alias post emissionem nostrorum et sancte Romane ecclesie processuum quorumcunque aliquas ligas, convenciones, contractus sive pacta cum eisdem Bernabone et Galeacz suisque complicibus et fautoribus eciam divisim quomodolibet iniverunt vel alias quicquam fecerunt vel gesserunt, quod ad ipsorum vel alterius eorum utilitatem, commodum vel profectum potuerit sive possit quomodolibet pervenire, omnes et singulos nostros contra dictos Bernabonem et Galeacz eciam divisim emissos processus et sentencias, prout late sunt, ac eciam penas in dictis nostris processibus contentas realiter declarandi, decernendi ac pronunciandi incidisse, necnon processus, sentencias atque penas predictas omnes et singulas contra dictos complices et fautores ac alios omnes et singulos predictos debite executioni fore demandandas et demandari debere ac eciam declaracionem, pronunciacionem, decretum et sentencias vestras, si que contra predictos late fuerint vel ferantur, una cum dictis processibus et rerum effectibus per vos et vestrum quemlibet libere et plenarie exequendi, post quam pronunciacionem, decretum seu declaracionem hujusmodi personas eorum arrestandi, detinendi, captivandi et ad cohercionem eorum qualitercunque oportunam procedendi, res, pecunias, mercimonia et bona mobilia seu immobilia eorum quecunque nostro et imperii nomine et alias secundum omnem modum et formam processuum nostrorum emissorum predictorum confiscandi confiscasque et confiscata per vos seu alium vel alios de mandato vestro occupandi, apprehendendi, detinendi et de eisdem secundum formam et tenorem processuum nostrorum predictorum et eciam alias,